

Specimen I.

DE

POESI

GENTIUM SEPTENTRIONALIUM
ANTIQUISSIMA

PRÆSIDE

MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQU. PROF. REG. ET ORD.

REG. ACAD. LITT. HUMAN. HIST. ET ANTIQUIT.

NEC NON

R. SOC. SCIENT. UPSAL. MEMBRO,

PRO GRADU

exhibet

ANDREAS ERICUS AFZELIUS

Vestro-Gothus

Approb. Sen. Lyc. Aur. Phil. in Aud. Maj. die 25 Junii 1798
horis a. m. consvetis exam. subjiendum.



ABOÆ

IN OFFICINA FRENCKELLIANA.

70.

1851

1251

FRANCIS TRONVILLE

ATLANTA

FRANCIS

Mrs. FRANCIS TRONVILLE

ATLANTA

FRANCIS TRONVILLE

ATLANTA

FRANCIS

FRANCIS TRONVILLE

ATLANTA

FRANCIS TRONVILLE

FRANCIS TRONVILLE

FRANCIS

FRANCIS TRONVILLE

JOHANNI BILMARK

AD ACADEMIAM REGIAM AURAIAM

HISTORIARUM ET PHILOSOPHIÆ PRACTICES

PROFESSORI CELEBERRIMO

AVUNCULO SUO MAGNO

EVERGETÆ OPTIMO

UT GRATI IN SUMMUM BENEFACTOREM ANIMI

MINIMUM EXSTARET DOCUMENTUM

PRIMAM HUIUS SPECIMINIS PARTEM

QUIA DEBUIT


SACRATAM VOLUIT

AUCTOR,

JOHANNI BILMARK
AD ACADEMIAM RECTORI APOSTOLICAE
HISTORIARUM ET PHILOSOPHIÆ PRAEFECTUS

*Än lefva Göthriks, Rolfs och Hervoras bedrifter
Och Tiodolfers Sång och Dämifagans Skrifter;
Än, Brävalla! din Hed af Nordens Härar höljd,
Mins Haralds ålderdom af Gneip och Hjalte följd
Som quädde om hans mod och stridde vid Hans Fana;
Än Lodbroks Bjarkamal beslöt Hans Härnads bana,
När Han, i Ellas våld til Ormars rof beståmd,
Sjông plågornas förakt och sinå Söners hämd;
Än Ragnars djärfve Son, af Eistens järn belastad,
Sjông, trotsigt hvilande, på spjutens uddar kastad;
Än Thormod Kolbrun Skald vid Olofs sida quad
Den fäjd, där Sverige såg sin Kung vid Sticklarstad
Emillan Sköldemön och Sångernas Gudinna
På Segrens bana ledd at, bågges Lager vinna.*

OXENSTIERNA.



Proœmium

Quam in præfenti difertatione tractandam fufcepimus materiam, eam ejus efle indolis comperimus, ut de ipfa in diverfam proflus fententiam non pauci legentium fint abituri. Hæc enim, ut ab initio repetatur oratio, quorundam animos pervafit opinio, ut tantam efle eorum, qui in hoc ftudiorum genere verfantur dementiam putent, ut nulla utilitatis (quam plane nullam vel faltem exiguam ex his tricis capiendam efle ipsis perſualum eſt), ratione percepta, oleum perdant & operam in eruendis veterum monumentis, quæ ſqualore & ſordibus obſita nonniſi ridiculum fere eorum curioſitati præbeant oblectamentum. Aliis contra, quorum in monumentis veterum illuſtrandis in primis collocata fuit opera, tantus adhæret antiquitatis amor, ut ex ipfa non modo artium ſcientiarumque cognitionem, ſed omnem etiam vitæ prudentiam honeſtatemque hauriendam efle, exiſtiment. Quare morem unanimi ſcribentium conſenſu receptum ſecuti, pauca quædam, tum in materiæ commendationem, tum in noſtri ipſius, ſiquidem aliquando forſan hallucinati fuerimus, exultationem, de inſtituti ratione præmonenda efle duximus, lucem ſequentibus ſceneratura. Ut vero utilitatem ex ſtudio antiquitatum in genere capiendam ſicco, ut ajunt, prætereamus pede; paucis modo indicabimus, quantum ex accuratiori Poëſeos veterum Septentrionalium cognitione ad hiftoriam præfertim patriæ redundaturum ſit emolumenti. Conſtat igitur inter omnes, tanto nos in hiftoria

A

ſtoria

storia rerum sub Ethnicismo gestarum condenda, labore monumentorum defectu atque penuria, ut vix unum vel alterum habeamus scriptorem, ex quo bonæ aliquid frugis extrahere potuerit historicorum nostratum, in primis recentiorum, laudanda magnopere diligentia. Ut vero de fide eis habenda tuto judicare liceat, nulla rectior iniri via potest; quam ut in fontes inquiramus, unde illi suas hauserint narrationes. Quo facto invenimus, tria cum primis esse, quibus fidem commentariis suis facere solent scriptores nostri in rebus antiquioribus percensendis versantes: *Frasagur*, sive *Fornfraedi*, hoc est relationes jam inde ab antiquissima mortalium memoria posteris per manus traditas; *Scaldorum carmina* majoribus nostris usitatissima, quæ TACITO auctore antiquissimum annalium genus quondam fuere; quibus succedunt *Fornæ Bækur*, libri & manuscripta vetusta (a). Quum autem carmina illa Scaldorum ab iis condita sint, qui tempus, quo res a vatibus celebratæ gestæ fuerant, propius attigerunt, & paucissima jam supersint alia gentium septentrionalium monumenta, inde etiam ex scriptis Poëtarum sua se irrigasse arva non modo grata mente vetustissimi historiæ nostræ scriptores ipsi agnoscunt (b), sed unanimi etiam constat

(a) VEREL. Not. ad *Heroar. Sag.* Cap. I. p. 3. 4.

(b) Fatetur ille historicorum nostratum princeps STURLONIDES, non pauca se ex carminibus vetustis (*fornum quædam eda Sögu-liðdum*) hausisse & magnam *Historiæ Ynglingorum* (Yngl. Sag.) partem ex scriptis *Thiodolferi* (*quædi that er kallat er Ynglinga-tal*) se exscriptisse. SNORRR STURLES. *Heims kr. Fört.* p. 1. Et mox subjicit l. c. p. 2: "Oc tökum ver thar mest dæmi af thvi, er sagt er i theim quædum, er quædin voru fyrir stillum höfðingjunum, eda sonum theirra." Cfr. (a *Petro Claudii* ed.) *Norske Chr.* Fört. p. 1. sqq. *Olafs Saugu Præf.* *Nifelunga Saga* p. 55. SAXON, GRAM, *Hist. Dan.* Præf.

constat recentiorum consensu (c), totam antiquorum illorum fidem a carminum veterum auctoritate sæpissime esse æstimandam. Unde intellectu facillimum est, magni omnino faciendam esse cognitionem Iøðseos antiquæ omni numero absolutam, quum carminibus Scaldorum tanquam unico fere fundamento historia Patriæ antiquior sit superstructa.

2.

Quum vero illi qui veterum perlustrarunt monumenta, hunc sibi propositum finem habuisse videantur, ut statum in primis gentium antiquarum politicum debita industria explicarent; hinc illud exortum fuit incommodum, quod nulla habita elegantix & suavitatis Poeticæ ratione, & historiam tantum carminibus vetustissimis insertam respicientes, jejunam prorsus atque ineptam eorum nobis tradiderint interpretationem. (d) Quum autem sententiam Poëtæ invenire & intelligere non liceat, nisi imagines præsertim poëticæ ornamentaque multis e locis deprompta summa diligentia iudicii acumine explicentur, facile patet, multum historix antiquissimæ lucis allaturam

A 2

turam

- (c) VEREL. *Not. ad Herv. Sag.* l. c. & Præf. Libelli: *Itt flycke af K. Olof Tryggvasons Saga.* Upl. 1665. 8:o DALIN Sv. R. Hist. I. Del. Fört. 8 Cap. §. 10 p. 247. LAGERBRING Sv. R. Hist. I. Del. Inledn. §. 3 — 7. pag. 476 — 481. VON STIERNMAN *om Vet. Tills. under Hedend.* p. 20. 21. SCHÖNING *om Tidsregn. til Harald Haarfag.* tid p. 6. sqq. Idem *om de Nordiske Folkes Oprindelse* p. 276. Idem. Fört. til Heims Kringl. Havnix 1777. Fol. p. 12. 15 — 17. P. F. SUHM *Crit. Hist. af Danmark* I. B. p. 104. 105. 224. 397. II. B. p. 105. 191. III. B. p. 116 IV. B. Fort. &c. Cfr. quoque si placet: *Edda Saemundar hinus fróða* P. I. Hafn. 1787. Præf. ab Ephoris Leg. Magn. præm. pag. XII.
- (d) Anmärkn. vid. Ejvindr Skaldasp. Likfång öfv. K. Håkan Adalstens Fofstre. öfvf. och upl. i Svenska Acad. d. 13 Maji. 1786 af Cancellie Råd, ADLERBETH, Stockh. Post. 1790. N:o 44. 45.

turam fore interpretationem carminum Scaldorum hac ratione institutam. Deinde etiam fata Poëseos sub Ethnicismo magnam constituunt historiae nostrae litterariae partem. Nam & quam diutissime veteres Scaldi floruerunt, & toto hoc temporis intervallo nullis præter Jurisprudentiam patriæ, scientiis, nullis præter Poësin ingenuis artibus, operam majores nostri dederunt. Dignam igitur præsentem esse materiam, in qua illustranda atque explicanda eruditorum opera collocetur, inficias iturum credimus neminem. Præter usum enim quem, ut supra probavimus, habet historicum, silentio minime prætermittendum est, nonnullos esse poëtarum recentiorum, qui Eddicis hinc gustus irritamentis suas subinde dapes condire gestiant. (e) Quod apud nos consilium iniverunt VON DALIN, NORDENFLYCHT, GYLLENBORG; magnam propterea merentes laudem, quum veterum Septentrionalium Mythologia melius omnino quam Græcorum Romanorumque illa moribus nostris conveniat. Id quod præclare monuit & præclarius adhuc suo exemplo docuit Ingeniosiss. LEOPOLD in Ode, quam populo Svecano dedicavit, elegantissima. (f) Quamvis enim mollem illum tenerumque animi frustra in carminibus Scaldorum quæsiveris adfectum, simplici tamen sæpius se commendant majestate & Osfianeam interdum vim

(e) *Edda Samundar hiuns Fróða* Præf. p. XI.

(f) Hvad svaghet förde dig, du yngre Skalders tropp!

Då du ditt offers eld för Latiens Gudar tände?

Hvad? Odens åttlingar ej blygts at resa opp,

De glömda altaren som deras fäder brände!

Nej hören Afars guda ått

I digterna er röst begåra;

Sen fanning njutit all sin rätt

At höja Eder sång til Vasa stammens åra.

Ode til Svenska Folket p. 15.

vim quandam spirant atque sublimitatem (g). Unde etiam negari non potest, multas esse rudium etiam illarum fabularum quas Poëta ingenii præditus iudicii que acumine, in suos convertere usus facile queat. Deinde ad cognoscendam veterum Septentrionalium Mythologiam ejusque cum Græcorum aliarumque gentium sentiendam convenientiam (h), haud spernandum carminum vetustissimorum explicatio nobis præbet adjumentum. Quod ulterius hoc loco demonstrare quum instituti nostri non permittat ratio, commodiori id occasione reservamus.

3.

Quanto autem certius est, magnam e monumentorum illorum illustratione capiendam esse utilitatem; tanto etiam magis dolendum est, æque magnas & interdum ma-

A 3

jores

(g) Quod de multis in primis Eddæ Sæmundinæ carminibus dictum est. Cfr. P. F. SMITH *Critical. H. of Danm.* IV. Bind. Förtal. p. 7. Ulterius aliquando in nobis comparatio instituenda erit inter poemata Osfianæ & carmina Scaldorum. Ad confirmandam autem illam quam inter ipsa reperimus convenientiam, monuisse juvabit, gentium Septentrionalium heroës in carminibus *Osfiani* plus simplici vice esse celebratos. *Frothül* scilicet ille, cujus mentionem sæpius facit *Osfianus*, (T. I. p. 279. 280. i. *Carric-Thura* p. 150 — 156. 278. 281 — 286 t. I. 158 159. 161. 164. 165. 168 — 170 t. 2. p. 230. 268.) Frode tertium hujus nominis Daniæ regem fuisse, non sine ratione existimatur. Cfr. SMITH. Cr. Hist. II. B. p. 167. sqq. Loda etiam *Osfiani* (T. I. *Fingal* p. 52. 64. 96. 97. 118. The death of Cuchulin 213. 276 — 279. 290. t. 2. Temora 115. 217. 228. 229. 232. 238. 244. 246. 248. 267. 260. 271. 277. *Disfert.* p. 378.) e quorundam sententia noster fuit Odinus.

(h) Aut valde nos fallimur, aut arctæ mythologicæ cum Græcicæ antiquiore aliquanto curatius, quam hætenus factum, instituta comparatio, quemcumque Scholæ, quod ajunt idolis non occæcatum docebunt, ovum ovo non esse similius, nec illius quam hujus pigmenta magis esse pingua aut filo crassiore deducta, *Edda Sæmundar hinns Froða* Præf. p. IX.

jores adhuc interpreti carminum Scaldotum se objicere difficultates. Primum enim lingua, qua in carminibus condendis usi sunt antiquissima (i), intellectu omnino est difficillima. Deinde non modo peculiarem Scaldi habuerunt linguam, a communi distinctam, & *Asamal* dictam (k), sed nonnulli etiam recentiorum, longiori verborum traiectione tam obscura carmina sua reddiderunt, ut sine explicatione, quæ *Urskyring* dicebatur, ne antiquis quidem illis temporibus intelligerentur (l). Præterea non pauca occurrunt, ex arte illorum poetica, e Mythologia hyperboreorum vetustissima, multis denique aliis ex locis explicanda, quæ cognitionem requirunt totius antiquitatis absolutissimam, diligenti veterum monumentorum lectione & assiduo labore comparatam. Quibus accedit, magnis sumptibus majorique adhuc diligentia (m) colligenda esse quæ supersunt & ad illustrationem rei aliquid

- (i) Gothicam alii, alii Danicam, alii Islandicam ipsam nominarunt. De quo quid sentiendum sit, hoc loco exponere non vacat. Septentrionalem illam potissimum dicendam esse existimat Ill. SUHM. Crit. Hist. I. B. p. 203. 204. 209. 219-221. Cfr. I. B. p. 37. 81. 126. 209 sqq. 220. II. B. p. 45. 539. &c. SCHÖNING Præf. H. Kr. p. 17. 18. DALIN Sv. R. Hist. I. D. p. 230. 231. Disfert. de præstant. L. Goth. Pr. Fab. Törner Resp. C. ENSTRÖM Upl. 1707 8:o WORMII Lit. Dan. Hafn, 1651 Præf. p. 1. p. 23 sqq. p. 45. 135 sqq. P. WIDALINI Comm. de Lingva Dan. add. vitæ Gunlaugi & Rafni p. 220. cæet.
- (k) WORMII Lit. Dan. p. 178. VEREL. Not. ad *Hist. Gothr. & Rolf.* p. 3. Not. ad *Hervar. Sag.* p. 153. LAGERBR. Sv. R. H. I. D. p. 476 478. cæet.
- (l) VEREL. Not. ad *Herv. Sag.* p. 4. WORM. Disf. de poet. Dan. *Ed-da Sæmundar hinns Fróða* p. 17. 18. Præf. LAGERBRING I. c.]
- (m) Nam in ipsa Islandia repertu sæpe difficillima sunt. Vid. Rev. von TROIL *Bref ófoer en Resa til Island* 1772. pag. 25. 191. 203. Apud nos autem rarissimæ quoque sunt quæ ex Typogr. Holenæ prodierunt veterum historiarum editiones.

quid faciant, monumenta. Neque hactenus in conqui-
rendis hisce subsidiis quidquam adjumenti præbet egregium
illud opus *Warmholtzianum* (n), quod in volumine adhuc
desiderato (Lib. V. Cap. III.) Scriptores recensere de poësi ve-
terum Scandinavorum agentes. Quæ licet ita sint, insigni ta-
men materiæ elegantia atque jucunditate permoti, non
pauci in ipsa elaboranda defudarunt. Nam ut omittam
fontes illos antiquissimos, e quibus omnis harum rerum
cognitio est derivanda, silentio prætermittendum non est,
fuisse ante nos qui disertationibus Academicis præsen-
tem materiam tractare allaboraverint (o). Ut longiorem
hac occasione tradamus Scriptorum enumerationem,
nec temporis nec instituti nostri permittit ratio. Inter
veteres nominasse sufficiat OL. WORMIUM, qui *Litteraturæ
Danicæ* disertationem subjunxit de prisca Danorum poësi,
a *Thorlaco Sculonio* Episcopo Holensi *Magnoque Olai*
cum ipso communicatam. Quæ tamen quam parum suf-
ficiens sit ad prisca illam poësin intelligendam, vel in-
de colligi potest, quod ex 136 carminum generibus duo
tantum selegit singulari studio explicanda (p). Præter Dis-
sertationes Academicas antea laudatas, pauci omnino no-
stratium de poësi veterum Septentrionalium ex instituto
ege-

(n) *Bibliotheca Historica Sæogothica* af C. G. WARMHOLTZ I: VII
Del. Stock. 1782-1793 8:0.

(o) *Disf. de Skaldis veter. hyperbor.* Pr. Pet. Lagerlöf. Resp. DAN.
DJURBERG Ups. 1685. 8:0. De poësi Scaldorum Septentrionalium
Pars Prior Pr. Fab. Törner Resp. NIC. WETTERSTEN Rosl. Ups. 1717.
8:0 (Pars Post. numquam lucem vidit publ.) De Poësi antiqua &
hodierna Pr. Joh. Hermanson Resp. M. LÖNBOHM Ups. 1734. 4:0.
De primordiis & incrementis Poësiæ Svecanæ Pars Prior Pr. Laur.
Hydrén Resp. AXEL. AXELSON Ups. 1748. 4:0 De carminibus Scal-
dorum Pr. Jac. Axel, Lindblom Resp. JOAN. HESSELGREN Upsal.
1782. 4:0.

(p) WORMII Litt, Dan. p, 165. 207.

egerunt. Collegium quidem de poësi Svecana manu scriptum sapius citatum reperimus Prof. *Fab. Törner* (q), quod tamen, quantum nobis constat, prelo nondum fuit commissum (r). Quantum vero inde capiendum foret, utilitatis in poësi Septentrionalium antiquissima explicanda, tuto judicare non licet, quamvis eo etiam ex capite illud laudatum inveniamus (s); quum cognitum nobis non habeamus, an adhuc superfit & quo in primis loco servetur. Videtur etiam eximium illud harum litterarum ornamentum decusque splendidissimum Illustr. *JHRE* propositum sibi habuisse, ut hanc materiam fuis aliquando explicaret (t). Quod deinde aut vir Nob. mutavit consilium aut multis aliis distentis negotiis effectui dare non potuit. Sed diutius his immorari temporis non permittit ratio.

4.

Ne autem actum nos agere videamur, & nostra qualiscunque lectori inutilis & vana videatur industria; obfervandum erit, post tot tantosque virorum eruditorum exant-

(q) Vid. Disfert. Axelsonii supra cit. p. 6.

(r) Partem tamen illius aliquam typis fuisse evulgatam, suspicandi ansam præbet Disfertatio supra laudata, de poësi Scaldorum Septentrionalium, præsertim quum Respond. arcto cum Præf. conjunctus fuerit cognationis vinculo.

(s) Vid. Disf. de Poësi Svec. Hod. Pr. Laur. Arrhenius Resp. JAC. PRATENIUS; Ups. 1728, 8:o P. 4.

(t) Cujus rei suspicionem vobis præbuerunt verba ad calcem art. *Skald* in *Glossar. Sveogoth.* Occurrentia. De ipsa, ait, poësi Scaldorum in presentia operosius non diseremus, quippe quam materiam alteri occasione reservamus. Partem saltim Eddæ a Góransonio relictam, quæ ætatem quoque majorum nostrorum sistit poeticam, transferre in animo habuit vir Celeberrimus. Vid. *JHRES* Bref til Lagerbring rörande den Isländska Edda Ups. 1772, p. 6.

exantlatos labores, repetitamque sapius diligentiam, nihil fere, magni saltem momenti, actum tamen fuisse, quod ad illustrationem poëseos antiquæ insignem conferre possit opem. Quod ne temere magis quam veritati convenientius dictum nonnulli putent, paucis exponendum erit, quibus in primis de causis oleum operamque perdidisse eos putemus, qui ante nos hanc materiam tractarunt. Fuit igitur tempus, quo de patria illum optime meritum censerent Eruditi, qui maximam, nullis tamen plerumque nixus rationibus, ei tribueret antiquitatem. Quod quantum sapientiori veterum monumentorum interpretationi attulerit impedimenti, dici vix queat. Præjudicatis enim antiquarii nostri antea abrepti opinionibus, ad sententiam suam comprobendam luculentissima veterum Scriptorum testimonia per crines trahere non dubitarunt. Altera a nobis allata jam fuit ratio, quod scilicet ad historicam magis respexerint carminum veritatem, quam poëticam eorum syavitatem & elegantiam. Omnes hoc nobis concedant necesse est, qui cognitum habent quantum in translatione carminum in historiis nostris passim occurrentium offendamus negligentiam, & incuriam profus intolerabilem. Quod inde maxime quoque auctum fuit propagatumque incommodum, quod illis etiam qui poësi Scaldorum explicandæ operam dederunt, non satis fuit patientiæ ad illam acquirendam linguæ vetustissimæ notitiam, sine qua in carminibus veterum interpretandis vana erit eruditorum industria. Deinde etiam reticendum minime esse existimamus, nonnullos eorum in verba jurare magistri, & spretis neglectisque ingenuis illis antiquissimisque poëseos gentium Septentrionalium fontibus, ad fidem provocare scriptorum quorum in rebus antiquis valere non possunt testimonia. Maximum vero, cui medela nostris tandem diebus allata fuit, impedimentum, hoc erat, quod nondum debita diligentia in lucem

edita fuerint quæ supersunt majorum nostrorum monumenta. Quemadmodum enim, nisi jacto antea fundamento, ac ædificandi undique materia conquisita, domum extruere non licet; sic etiam, nisi prelo antea commissis veterum monumentis, magnoque editorum studio explicatis, poësis veterum Septentrionalium illustrari non potest. Quam igitur difficile antea fuit hanc pro dignitate tractare materiam, quum magnam monumentorum illorum partem aut nondum aut pessime omnino typis divulgatam fuisse novimus! Hæc autem nostro tandem sæculo contigit felicitas, ut multi præstantissimique Daniæ eruditi in edendis veterum monumentis sedulam magnisque encomiis celebrandam collocaverint operam. Quos inter primo certe loco nominandi sunt doctissimi legati Arna-Magnæani (u) Ephori, quorum studio & indefessa diligentia præstantissimæ antiquitatis splendide & erudite prodierunt reliquiæ. Magnam loquor *Eddæ Sæmundinæ* partem, juris publici antea non factam, multasque historiarum nostrarum veterum, partim manu scriptas partim vitiosissime antehac editas. Accuratus igitur jam in indolem poëseos antiquissimæ inquirere licebit. Cum igitur materiæ non minus jucunditate quam elegancia dignitateque permoti, ipsam tractandam suscepimus; eo saltem ex capite veniam juvenili huic conamini lectorem

(u) Den uddødelige Prof. Arnas Magnæus Ikienkede ved Testamente af 61. Jan. 1730 sin vigtiga samling af gamle Nordiske og deriblandt Isländske haandskrevne Sager og nogle rare trykte Skrixyer til det Kiöbenhavnske Universitets Bibliothek. Han Ikienkede desuden en kapital Iom, 1787 var 17800 Rdlr. huis Renter skal anvendes til at udgive i trykken, hvad i Haandskrivterne findes vigtigt, samt til at lønne Isländske Studentere, Iom arbeide i dette Fag — Förf. 1772 er Testators Villie sat i værk, og siden den tid ere adskillige Isländske Sager udgivne. Vide *Veiledning til det. Danske Monarchies Statistik* ved FRED. THAARUP, Kiöb. 1794. p. 333.

daturum fore confidimus, quod & cognitu utilem, & a nemine sufficienter adhuc explicatam, judicabunt eruditi harum rerum æstimatores. In eo autem nostra qualiscunque inprimis versabitur opera, ut expositis antea non modo factis poëseos in Septentrione antiquissimis, sed indole etiam ejus vetustissima, dignitateque Scaldorum ostensa amplissima, artem eorum explicare conemur poëticam, & carmina quædam, si ingenioli id ferant vires, e plurimis illis selecta, in linguam transferre tentemus vernaculam. Prima nunc eruditorum examini subjicienda erit hujus opusculi particula; quam si legentibus placuisse comperimus, reliquæ illam olim sequentur. Si autem temporis angustia pressi, in hac parte quædam irreperint menda; eorum gratissima mente agnoscemus operam, qui iis detegendis & nobiscum communicandis insigne nobis præbuerint favoris sui documentum.

Caput Primum

DE POËSEOS IN SEPTENTRIONE ANTIQUITATE ATQUE
ORIGINE.

La Poësie fut le premier art, qui fut cultivé avec succès. Dante & Petrarque écrivirent dans un tems, où l'on n'avoit pas encore un ouvrage de Prose supportable; chose étrange, que presque toutes les nations du monde ayent eu des Poëtes, avant que d'avoir aucune autre sorte d'Ecrivains. Les vers furent toujours les premiers enfans du genie & les premiers maîtres de l'éloquence.

VOLTAIRE.

I.

Annales gentium antiquarum debita industria judicij- que acumine perlustrantes facile invenimus, nul- lam fere earum tam feram fuisse omnique humanitate destitutam, quæ non ab antiquissimis inde temporibus majori vel minori, pro rerum conditione, successu Poë- sin, artium illam elegantiorum principem, tractare alla- boraverit. (a) Refert nempe historia gentium antiqua, regionem desertam, ubi innumeros inter carduos unicum aliquando viatori carpere liceat florem. A sanguinolentis oculos dejiciens præliis, obscurius interdum Philoso- phus detegere valet ingenij humani vestigium, a vehe- menti imperiorum concussu non plane extinctum. Non- dum Septentrionem radiis suis rosea lucis illustraverat aurora, quum suis interdum majores nostri gaudia inter- ponerent curis, & a cruenta discedentes bellona in sva- visimum musarum se reciperent consortium. Inter om- nes enim constat, qui vel primis historiam patriæ de- gustave-

(a) Cfr. egregiam Ingeniosif. J. H. KELLGREN *Disert, de Poësi phi- losoph. ubi vis gentium prævia.* 1774.

gustaverint labris, Scandiæ olim aborigines tantas Inter bellorum turbas, artium elegantiorum non omnem cultum neglexisse. Neque vero muta faxa magnorum tantum virorum laudes prædicabant, sed quod maximum fuit veræ virtutis præmium & liberali homine dignissimum rerum bene gestarum monumentum, Scaldi quoque fortia heroum facta carminibus suis celebrantes, bellicam gentis gloriam eloquentia cumularunt. Et quamvis ingenii eorum quæ ad nos pervenerunt documenta, cum Græcorum Romanorumque illis haud comparanda esse nonnullis videantur: (b) tantum tamen abest, ut ab artium scientiarumque studio prorsus fuerint alieni, ut potius indubiis firmari possit rationibus, maximam esse pœseos in Septentrione antiquitatem.

2.

Quo autem tempore pœsis in Septentrionem introducta fuerit, paucis nunc erit dispiciendum. Ut vero in definienda pœseos in Septentrione antiquitate, eo felicius progrediamur, paucis exponendum antea erit, quam diversam de hac re historici foverint sententiam. Primo igitur illi nominandi sunt loco, qui Græcos suam non modo scribendi rationem, sed omnem etiam sapientiam eruditionemque e Septentrione hausisse contendentes, inventionem artis Scaldicæ ad tempora referunt *Odini primi*, & circa annum mundi bis millesimum pœsin in Septentrionem introductam fuisse, persuasum sibi habent (c). Quorum de audacia, risu potius quam repreh-

B 3

(b) Pâminnelser vid Sv. Skaldek. af Ol. v. DALIN, *Kgl. Vitterhets Ac. Handl. I. D.* p. 105. 106. Alii tamen diversam plane foverint sententiam. Vid. *Vitt. Hist. ock Ant. Acad. Handl. T. 1.* p. 312, 313.
 (c) RUDBECK *Atlant. T. I. Cap. 7 & 37. T. III. Cap. 10. p. 287.* DJURBERG *Disf. de Skaldis p. 7.* Singularem habeas sententiam v.

hensione digna, quid sentiendum sit, lector facile judicabit. Fundamentum cui hæc eorum sententia est superstructa, tanto minus examinare licet, quanto certius neminem, ne conjectura quidem, illud inventurum fore confidimus. Alii ad fontium domesticorum fidem confugiunt, qui omnes quidem Odino pœseos tribuunt primordia. Quos inter arctoræ historiæ antiquissimæ facile princeps *Sturlonides*: "Mæltti han alt hendingum sva sem, nu er that quedit, er Skaldskapr heitir; hann oc hofgodar hans heita lioda smidir, thvi at su sþrott hófz af theim i Nordrlöndum (d);" & mox infra: "Allar thessar ithrottir kendi hann med rúnium oc liódum, theim er galldrar heita; fyrir thvi eru Æsir kalladir galldrasmidir." (e) Ceterum non modo incunabula Pœseos ad Odinum referenda esse, inter illos constat, sed carmina quoque ab eo condita ad nostram usque ætatem pervenisse, contendunt. Pœma nempe illud præstantissimum *Havamal* dictum, quod *Eddæ Sæmundinæ* partem constituit, ab ipso Odino conscriptum fuisse nonnulli existimarunt (f), pluraque alia ejusdem *Eddæ* pœmata (*Voluspa*, *Runacapitule*) ab Odino condita fuisse, aliis fuit perisyalum (g). Quod si veritati conveniat, de quo tamen & dubitari potest, & disquisitio olim instituenda erit, multum facit ad testimonium *Snorræ* comprobandum. *Taciti* porro ad *Se-*

DALIN, qui contendit, Pœsiv fuisse in Scandiam cum primis hujus regionis incolis introductam. *Vitt. Ac. Handl. T. I. p. 105.*

(d) STURLES. *Heims Kringsl. Ingl. Sag. Cap. 6: Fra atgervi Odins. p. 10* ed. SCHÖNINGH.

(e) STURLES. *Heims Kr. Cap. 7. p. II. 12.*

(f) BARTHOL. *Antiqu. Dan. p. 193.* LAGERBRING *Sw. R. Hist. I. Del. p. 70. 479.* DALIN *Sw. R. Hist. I. D. p. 112.* Resenius *Præf. in Edd. Snorr.*

(g) BJOERNER *Antiqu. Hyperb. p. 105.* LAGERBRING *l. c. Cfr. P. F. SUHM om Odin og den Hedn. Gudalare p. 117, 118.*

ptentrionalium gentium in pœsi diligentiam comprobendam afferre solent testimonium. Quod nempe de Germanis affirmat ille: "carmina antiqua unum apud illos, memoria & annalium genus fuisse;" id de Scandiaz maxime incolis dictum nonnulli existimarunt (b). Ad morem etiam veterum Scandinavorum cantiones canendi bellicas, hæc juxta eorum sententiam respicere videntur verba: "Sunt illis, ait, hæc quoque carmina, quorum relatu, quem Barditum vocant, accendunt animos, futuraque pugna fortunam ipso cantu augurantur, terrent enim, trepidantque, prout sonuit acies. (i)" Quod vero ad argumentum attinet e Tacito petitum, leviter tantum observamus, multas etiam alias fuisse nationes Germaniæ, quibus morem a Tacito allatum communem fuisse novimus; quare testimonium ejus per se spectatum, non maximi esse putamus momenti, nisi illud a nostris etiam historicis fuisset confirmatum. Quum vero nostra quoque satis testatum reddant monumenta, pœsim ab antiquissimis inde temporibus fuisse in Septentrione excultam, quumque simul negari non possit, fuisse Scandinaviam a Romanis sub nomen Germaniæ comprehensam; facili patet negotio, non omnem vim testimonio Taciti esse denegandam. Majoris tamen momenti est *Jornandis* de carminibus Gothorum narratio. "Exinde, ait, jam velut virescentes ad extremam Scythiæ partem, quæ Pontico mari vicina est, properant, quemadmodum & in priscais eorum carminibus, pœne historico ritu in commune recolitur. (k) Ex quibus omnibus simul sumtis non omnino temere colligi queat, ab Odino repetenda esse pœseos in Septentrione incunabula. (l)

-
- (h) TACITUS de morib. Germaniæ Cap. 2.
 (i) TACITUS de morib. Germ. Cap. 3.
 (k) JORNANDES de rebus Gothicis Cap. 4.
 (l) SUHM om Odin. p. 116 sqq. LAGERBRING Sv. R. H. I. Del. Inl. p. 5. 60. 69, 476. DALIN Sv. R. Hist. I. Del. p. 108, STERNMANS

Quod tamen ut melius adhuc intelligatur, paucis exponendum erit quo imprimis modo & qua de causa poësis ab Odino inventam fuisse veteres crediderint. Præunte igitur Edda Snorronis, narrationem dabimus pro temporis genio quidem fabulis refertam, cui tamen eam ob causam lectorem veniam daturum fore confidimus, quod & ad firmandam nostram sententiam & ad prisca nomina poëseos explicanda apprime faciat. (m) Traditur scilicet, magnam inter Deos & populum Vaner dictum, diu intercessisse inimicitiam. Pacem tandem ini am confirmandi gratia spurum utrique in vas quoddam miserunt, ex quo hominem Dii formarunt Kuafer dictum, qui tanta præditus erat sapientia, ut cuicumque quæstioni optime statim responderet. Quem Nani tandem interfecerunt, & sanguinem ejus excipientes melle miscuerunt, unde mulsum exortum fuit, quod bibenti carmina condendi facultatem subministravit. Asis autem rerulerunt, illum fuisse ex nimia sapientia suffocatum, quum nemo sat multas ei proponere potuisset quæstiones. Quum vero iidem deinde Nani, gigantem quendam nomine Gilling ejusque uxorem interfecissent (n), filio illius Suttung mulsum illud poëticum pro vita sua obtulerunt; qui illud filia pulcherimæ, nomine Gunlög, tradidit custodiendum (o). Odinus deinde fratris Suttungi, Baugii, intercessione vel unicum

Tal om Vetensk. tillf. &c. p. 19, v. Troil Bref öfver Island, p. 208. IHRES Glosar. Art. Skald.

(m) Varia nempe pro suo ingenio Poetæ rebus omnibus indiderunt nomina, quæ tertiam constituunt Eddæ Resenianæ partem, Kien-nigar dictam.

(n) RESENI Edda, Havn. 1665. 40, Damesaga 60.

(o) RESENI Edda, Damesaga 61.